



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXL. Quomodo nomen Ingenitum sit proprium personæ Patris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

nec Spiritui sancto conuenit, esse ingentum: qui est ab alio per processionem ut persona subsistens: nec etiam diuinæ essentia, de qua potest dici, quod est in filio, vel in Spiritu Sancto ab alio, scilicet à Patre.

Ad tertium dicendum, quod secundum Damasc. Ingenitum vno modo significat idem quod increatum, & sic secundum substantiam dicitur. Per hoc enim differt substantia creata ab increata. Alio modo significat id, quod non est genitum. Et sic relatiue dicitur eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis: sicut non homo ad genus substantia, & non album ad genus qualitatis. Vnde, cum genitum in diuinis relationem importet, ingentum etiam ad relationem pertinet. Et sic non sequitur, quod pater ingentus distinguatur à filio genito secundum substantiam, sed solum secundum relationem, in quantum scilicet relatio filij negatur de patre.

Ad quartum dicendum, quod sicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum, ita in diuina natura oportet ponere vnum principium, quod non sit ab alio, quod ingentum dicimus. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos, & duas naturas diuinas. Vnde Hilarius dicit in libr. de Synodis. Cum vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt. Et hoc præcipue, quia si essent duo innascibiles, vnus eorum non esset ab alio. Et sic non distinguerentur oppositione relatiua. Oporteret igitur, quod distinguerentur diuersitate naturæ.

Ad quintum dicendum, quod proprietas patris, prout non est ab alio, potius significatur per remotionem natiuitatis filij, quam per remotionem processionis Spiritus sancti. Tum, quia processio Spiritus sancti non habet nomen speciale, vsuprà dictum est: tum, quia etiam ordinæ naturæ præsupponi generationem filij. Vnde remoto à Patre, quod non sit genitus, cum tamen sit principium generationis: sequitur consequenter, quod non sit procedens processionem Spiritus sancti: quia Spiritus sancti non est generationis principium, sed è genito procedens.

Conclusio est Nomen, ingentum, est proprium Patri. Dicitur autem proprium, ut notauit Cæcilianus, prout distinguitur i. communi: quia essentia, & naturæ conueniat, ut colligitur ex solutione. 2.

DISPUTATIO CXL.

Quomodo nomen, ingentum, sit proprium personæ Patris.

Nomen ingentum quondam patribus fuisse suspectum, cap. 1.

Multo postea nomen ingentum fuisse à Patribus receptum, ut Patris significarent notionem, cap. 2.

Nomen ingentum non solum negationem denotare, c. 3.

CAPVT I.

Nomen ingentum quondam Patribus fuisse suspectum.

VOX Græca ἀγέννητος Latine, ingentum, significat idem quod increatum, & minime factum, qua voce Arriani Patrem æternum malitiose appellant, non quod ille increatus non sit, sed ut filium opposita voce γέννητον, hoc est creatum, & factum nuncuparent: & ut probarent filium non esse ὁμοούσιον Homousion, hoc est eiusdem cum Patre substantia, vtebantur hoc argumento. Genitum & ingentum, hoc est, creatum & increatum natura differunt: atqui Pater est ingentus, filius autem est genitus: ergo substantia & natura differunt. Ideoque nonnulli Patres hanc vocem suspectam habuerunt, ut Dionys. Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum, quam habet noster Francisc. Turrian. in sua Hoplethea nondum typis excusa in principio. Reddit autem rationem Dionys. his verbis, *Ingenitum Patrem nulla scriptura tradidit. Caterum ut notat ibid. Turrianus num. 13. illud dixit Dionysius, non quod sensu Catholico negaret Patrem ingentum esse, sed contra Paulum Samosatenum, qui eo nomine ut Arrianus utebatur; & sicut Patrem ingentum, sic Christum genitum appellabat; ut ostenderet, esse recentem, & creatum: nam purum hominem eum esse asserbat.*

Eodem modo rejicit Athanasius nomen ἀγέννητος in in dialogo orthodoxi & Anomœi, quod Anomœi eadem de causa, qua Arriani, ea voce uterentur: rejicit autem, quia in scripturis nullam habeatur, & pijs auribus non recte sonet, cumque Anomœus instaret, an dicendus esset Pater γέννητος? respondet Orthodoxus, nequaquam; ob id tamen non esse dicendum ἀγέννητος sicut quamuis Deus non dicatur credens alicui, non ideo dici potest incredulus, vel non credens, quia hæc verba male sonant.

Eadem ratione hanc vocem rejicit Athanas. & malitiose ab Arrianis introductam fatetur in epist. de decretis Nicenæ synodi aliquantulum ante finem & in orat. 2. contra Arrianos, circa medium, ubi ait, Ego enim ab ethnicis didici rō ἀγέννητος id dicit, quod nondum factum est, fieri tamen potest, ut lignum, quod nondum abijt in formam scaphe, tamen ibidem & Catholicam significationem subiungat, & in eo sensu vocem admittat, ut infra referemus, dicit tamen interrogandos esse hæreticos, in quem sensum loquantur, ut videamus, an vox illa admitenda sit.

Porro ex Latinis Patribus Ambrosius libro de dominicæ incarnationis sacramento, c. 8. & 9. contra Arrianos, qui vocem ὁμοούσιον Homousion non admittebant in sacris litteris non haberetur, obijcit vo-

1.
Vox ingenti-
um abutit-
ur Arriani.

Cur Græci
Patres hac
vox fuerit
suspecta.

Hanc vocem
non imple-
bat Ambro-

cit vocem, *ingenitum*, quam & ipsi captiose invenerunt, nusquam in scripturis reperitur: ex quo ipse non improbat hanc vocem, sed similes eos argumēto vigere voluit. Neque vero Patres Græci proximè commemorati, ea solum ratione vocem *ingenitum* reiecerunt, quod in sacris literis non esset, nam eadem ratione & *ἐκ θεοῦ* *Homousion*, deberent improbare, cum in scripturis non habeatur. Quod enim Ambrosius & Cyrillus conatur ex scriptura vocem *Homousion* partim colligere, ut retulimus disput. 190. c. 5. satis non est, ut illa in scriptura contineri dicatur: ideo igitur Patres illi vocem, *ingenitum*, non admisserunt, quia in scriptura non esset, & callide ab hæreticis introducto suspectam significationem haberet.

Alius Eunomius error hanc vocem Basilio suspectam fecit.

Alia quoque ratione Basilii hanc vocem putat introductam ab Eunomio, & ipso Arriano, ut si significaret nullam in Deo esse generationem, quæ naturam suam alteri communicans, illius pater constitueretur. Sic notavit libr. 1. contra Eunomium longe post medium, ubi refert hæc verba Eunomij, *Ingenitus vero cum sit, scilicet Deus* inquit (scilicet Eunomius) nunquam generationem suscipit, cui addidit (sc. idem Eunomius) ut cum genito naturam suam communicet. Ex quibus verbis colligit Basilii excludi ab Eunomio in Deo generationem filij in eadem natura, & ideo Deum *ingenitum* appellasse. Quare in eodem libro aliquantulum à principio suspectam habens hanc vocem sic ait, Ego autem etiam *ingeniti* siue *innascibilis* appellationem, quamvis summo opere cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo loco in scriptura & ipsam inuenio, & quoniam primum est elementum blasphemie istorum, silentio tradendam merito duxeram. Huius significationis *ingeniti* apud Eunomianos meminit Nazianzen. orat. 39. quæ est in sancta lumina, & Nicetas ibidem in illa verba, *Pater pater est cum ait, Neque enim Pater ingenitus esse desistit, quia genuit, quæ verba explicans Nicetas inquit, Ingenitus enim dicitur, ut nunquam genitus, non autem quod minime genuerit.*

CAPUT II.

Merito postea nomen *ingenitum* fuisse à Patribus receptum, ut Patris significarent notionem.

Quo sensu nomen *ingenitum* admittatur.

Verum enimvero iam Patres tam Græci, quàm Latini admittunt vocem Græcam *ἀγενετος* & Latinam, *ingenitus*, absque vlla suspitione, eamque non ad essentiam, sed ad essentiam seu subsistentiam modum, & characteristicam proprietatem significadam, quam Scholastici volant notionem, accommodant ita, ut significet, non negationem creationis, ut volebant Arriani, nec impotentiam generandi, ut contendeat Eunomius, nec solam negationem generationis, sed cuiusque processionis, & idē sit *ingenitus*, quod sui ipsius auctor, aut principium non habens.

Arriani Eunomius.

Græcorum Patrum testimonia.

Basil. Nazianz. Nicetas. Athanas.

Hanc vocem ad denotandam proprietatem solius patris in ea significatione admisserunt patres synodi Antiochenæ in Epist. ad Paulum Samosatenum, quæ in eadem Hoplothea Turriani habetur, Basil. lib. 4. contra Eunomium c. 2. Nazian. in illa oratione 38. quæ est in sancta lumina, & Nicetas ibidem in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ aliquantum ante finem, qui quamvis fateatur vocem *ingenitum* in scriptura non contineri,

inquit tamen adnotari posse, tam ad significandum Patrem, quam Filium, si rectus iudex veris teneatur, cum duæ sint nominis significationes. Aut enim significat id, quod existit, factum tantum non est; & ita convenit Filio: aut enim, qui sui auctorem non habet, & ita convenit soli Patri. Porro in priori sensu dicit, Filium Dei Christum vocatum fuisse ab Ignatio, *ingenitum*, in Epistola ad Ephesios illis verbis, *Unus est medicus carnis, & spiritualis genitus, & ingenitus in homine Deus*, quæ verba aliter non in codicibus, qui circumferuntur legimus, ut retulimus disput. 109. cap. 4. hoc ergo loco Ignatius, ut exponit ibidem Athanasius, vocat genitum Christum, id est, factum secundum humanitatem, sed *ingenitum*, id est, increatum & infectum secundum divinitatem: subdit vero Athanasius, *Quidam porro post Ignatium magistri, ipsi quoque scripserunt, unus ingenitus Pater est, ex ipso filius generatus, &c.* eodem modo hanc vocem recepit Athanasius, orat. 2. contra Arrianos, ut supra vidimus: cum his sentit Iulianus in expositione fidei, ubi Filium, & Spiritum sanctum negat esse *ingenitos*, & solum Patrem *ingenitum* fateatur, & Cyrillus libr. 1. Thesauri cap. 2. & 4. demum ex Greco eandem vocem in prædicta significatione, quæ solum Patrem æternū convenit, probat Damasc. libr. 1. de fide cap. 9. notat tamen aliter scribi, cum denotat increatum, aliter cum significet nullo modo procedentem ab alio: nam priori modo vocatur *γενετός*, cum simplici scribitur, posteriori vero cum duplici.

Ex Latinis quoque eadem voce, absque vlla suspitione in ea, quam diximus significatione, utuntur Concilium Tolet. 6. & 11. in confessione fidei, & Damasus in symbolo ad Hieronymum, quod est in 4. tomo Hilarii in libro de synodis, & 4. de Trinitate prope finem, & lib. 9. ubi videtur nomine *innascibilis*, seu *innascibilis*, quo frequentius Scholastici utuntur; August. cum eadem voce *ingeniti* utitur, lib. de Trinitate c. 6. & 7. & lib. 15. c. 6. & lib. 83. questionum quædam, & nullam inter Scholasticos de hac re controuersia est.

Ex quo recte colligit S. Thom. in hoc articulo in solutione 4. si duo essentialiter distincti, duos etiam fore Deos, iuxta doctrinam Hilarij 4. de Trinitate, quia illi non possent distingui relationibus originis, sed absolutis modis, quod fieri non potest in eadem numero natura. Hanc rationem amplius dicitur Henricus quoque lib. 6. qualia. 1. sed dissentit Summus in 1. distincti 2. quæst. 5. qui putat personas constitui, & distingui absolutis proprietatibus: probat enim hilominus multis alijs rationibus, fore plures Deos, si essent plures *ingeniti*. Verum ut ostendimus disput. 147. cum sola oppositio relationis diuinitis sit causa distinctionis, ratio sancti Thomæ optime probat id, quod contendit. Cum Hilario sentit Athanasius in orat. contra Gregor. Sabelij circa mediam, ubi ait, *Qui enim duo principia intrinsecit, id duo numina prædicat.*

Notat tamen S. Thom. in solut. 2. *ingenitum*, etiam dici posse de Spiritu sancto, in alia tamen significatione, quatenus nimirum significat id, quod non procedit per generationem tanquam filius, citatque Hieronymum in hac significatione nem, in quo ego id non inueni. Refert etiam Iulianus Nazianzenus, apud quem etiam nihil reperitur solum Nicetam legi, qui in orat. 39. Nazianz. explicans

plicas illa verba, Pater pater est, &c. inquit, Nec enim ingenuus, & genitus ex eorum numero sunt, qui media carent, vel alterum horum spiritui necessario tribuendum sit, verum inter ea medium aliquod interiectum est, nempe processio. Dixerat autem Nazianz. Nec spiritus idcirco, vel in patrem, vel in filium migrat, quia processit, ac processit, etiam si impijs hominibus aliter videatur, ac si diceret, etiam si Spiritus sanctus non sit ingenuus non propterea genitus dicendus est, ut impij homines autumant. Vt enim ait Nicetas explicans hæc verba, non sunt hæc nomina de eorum numero, quæ medio carent: id quod merito docuit, quia non opponuntur hæc nomina contradicторie, etiam si speciem habeant contradicторis: cum sola præposita negatione distincta videantur. Notandum enim est, genitum in diuinis non significare procedens in vniuersum quouis genere processionis, sed generationem, quæ est solius filij productio. Idem dicendum de nomine Græco γεννητός negat, non solam processionem generationis, sed quamvis aliam, ut ita Patrem significemus, quæ duo non opponuntur contradicторie. Quod si genitus in eadem vniuersali significatione acciperetur, non esset notio filij, sed communis conceptus conueniens utrique personæ procedenti. Contra vero si ingenuus solam significaret negationem generationis filij, Spiritus sanctus ingenuus diceretur. In qua significatione vituperasse videtur August. libr. 5. de Trinitate capit. 6. & 7. cum asserit, idem esse ingenuum, quod est non filius, aut si Latine dicere liceret, in filius eodem modo dicit, ingenuum esse, qui parentem sui non habet; quæ omnia in Spiritum sanctum conueniunt. Ceteri vero cum alijs Patribus ingenuum vocant, quod nullo modo ab alio procedit, & sui auctorem non habet: ideoque soli patri ea vox tribuitur: genitum vero, quod procedit, ut filius, & ita soli filio tribuitur.

CAPVT III.

Nomen Ingenitum non solam negationem denotare.

¶ Vm Scholastici omnes nomen ingenui, & innascibilitatis admittant variant nihilominus, cum disputant de significato vtriusque, vtrum scilicet sit sola negatio, an ratio aliqua positua. Referam igitur breuiter eorum sententias, ut quid in hac re dicendum sit, melius explicare possim. Fuit quorundam opinio, cuius mentionem fecit Bonauent. in distinct. 28. quæst. 1. qui dicebant, *ingenitum*, significare posituam quandam rationem relationis oppositæ relationi genitoris, sicut inæquale denotat relationem oppositam relationi æqualis. Verum hanc sententiam sequebatur esse in Deo quinque relationes reales tum etiam quia non apparet, quæ sit illa relatio realis in patre opposita esset, constitueret aliam personam: nam relatiua oppositiōe in Deo personæ distinguuntur.

Scotus vero in primum dist. 28. q. 2. artic. 1. inquit, *ingenitum*, ut est notio patris, solam negationem geniti significare, & quandam in hoc denotare dignitatem personæ proprietatis: nam per-

sonalia in diuinis, nec significant imperfectiōnem, nec perfectiōnem simpliciter simplicem, quæ melior est ipsa, quam non ipsa. Quod si aliquis (inquit Scotus) contendat, vocem hanc significare aliquam dignitatem, quia ad rationem notionis pertinet aliquam habere dignitatem, cōcedi posset, negationem illam, quam *ingenitum* significat esse perfectiōnem ratione sui, non ratione alicuius positiui, quia sicut in secunda persona dignitas est, habere genitorem, ita in prima non habere. Hanc sententiam refert etiam Bonauent. & eam merito improbat: quoniam negatio pura, quatenus negatio est, nulla potest esse perfectiō, nisi ratione positiui cui coniungitur, & à quo oritur: cumque notio debeat aliquam perfectiōnem, & dignitatem nostro modo intelligendi significare: sola illa negatio non potest esse significatum huius nominis, quod à Scholasticis ponitur, ad denotandam quandam rationem patris.

Mihi ergo placet communis opinio, quæ docet ita nomen hoc expresse & formaliter negationem significare, aut sicut quibusdam placet priuationem, (id quod statim explicabitur) sic ut simul etiam significet posituam quandam rationem, & dignitatem; & directe quidem, sed materialiter, quam negatione illa denotare volumus, ut dicebamus disput. 13. capit. 5. nam licet interdum nominibus negatiuis vtamur ad significandum ea, præsertim, quæ sunt in Deo, quia facilius concipimus de Deo, quod non est, quam explicare valeamus, quod est, illis tamen concipimus, & significare volumus aliquid posituam, ut nomine, *Infinitem, incorruptibile*; quia notius nobis est oppositum, cuius negatione id intelligimus, & alijs explicamus. Hanc sententiam præter Bonauent. in 1. 28. q. 1. 2. & 3. qui eam discrete tradidit, docuerunt etiam S. Thom. in hoc artic. ad 1. & clarius in 1. d. 28. q. 1. art. 1. ad 1. Capreolus q. 1. art. 1. concl. 1. Durand. q. 1. Canariensis, & Caietanus in art. 3. q. 32. & in hunc etiam articulum: quod omnes excepto Caiet. addunt, negationem quam significat expresse nomen, *ingenitum*, non esse puram negationem, sed priuationem quodammodo, absque imperfectiōne; non quod sit negatio formæ in eo subiecto, quod aptum natum erat habere formam oppositam, quia non habere illam, imperfectiō esset: sed quod sit negatio formæ, quæ in alio simili subiecto eiusdem naturæ nata est inesse: *ingenitum* enim significat negationem omnis processionis, cuius filius, & Spiritus S. qui sunt eiusdem naturæ cum patre, capaces sunt.

Porro prædicti doctores docent materiale, quod nomine illo negatiuo significamus, esse rationem primi principij, prima enim & simplicia melius negatione innotescunt, ut ex Aristotele probauimus disput. 137. ca. 5. ratione cuius nos ibidem diximus, *ingenitum*, esse notionem patris, quia de ratione notionis est aliqua dignitas, seu perfectiō nostro modo intelligendi. Qua vero ratione hæc notio à notionem paternitatis differat, eo loco explicatum est.

Ceterum S. Thom. in hoc artic. ad primum refellit opinionem Bonau. in eo, quod dixit, nomen, *ingenitum*, non solam negationem, sed aliquid etiam posituam significare; denotat enim, inquit Bonauent. non esse ab alio, & esse fontalem originem, & vniuersale principium aliarum personarum.

Merito à Bonauent. rejicitur.

Vera & communis sententia.

II.

Bonau. S. Thom. Capreol. Durand. Caiet.

12. Materialiter est directum significat aliquid posituam.

sonarum; quod hac ratione impugnat Doctor Angelicus. Quia inde sequeretur, innascibilitatē non esse notionem distinctā à paternitate, & filiatione: nam vniuersalis ratio principij non constituit diuersam proprietatem, & notionem, à tali & tali principio, vt notauimus quæstion. 33. in notationibus articul. 3. cum igitur ratio vniuersalis principij, & fontalis plenitudinis sit communis huic, & illi, sicut genus, aut species suis inferioribus, non erit distincta notio à paternitate & spiratione.

13. Verum hæc ratio parum contra Bonauenturam probat, cū enim ipse asserit, eo nomine non solam negationem significari, sed etiā positium; non contendit vtrumque formaliter, & expresse ex quo significari, sed negationem primo, & formaliter; positium vero materialiter, sed directe, vt supra explicauimus. Deinde cum ait, materiale, illud, & positium significatum esse rationem fontalis plenitudinis, & vniuersalis, principij, non intelligit rationem aliquam communem secundum prædicationem ad modum generis aut speciei, sed rationem primi principij, quæ nec paternitate, nec spiratione exprimitur. Fons enim, vt dicebamus disput. 139. cap. 5. non significat principium vtrumque, sed primum principium, quod soli patri conuenit, qui est principium sine principio: nam filius est principium, non sicut fons, sed sicut riuus: quia est principium de principio, hæc autem ratio nec sola paternitate, nec paternitate & spiratione simul sufficienter exprimitur, vt dicebamus disput. 137. ca. 5. dignitas autem patris sub ratione primæ personæ commodo significatur à nobis negatione omnis processionis, quæ est innascibilitas.

Quomodo Ingenitum dicitur significare in patre rationem vniuersalis principij. Cum vero addit Bonau. hac notatione denotari quoque rationem vniuersalis principij, idem omnino significat, intelligit enim non rationem abstractam, & communem principij, sic enim (vt ait S. Thom.) non esset diuersa notio à paternitate, & spiratione; sed ceterarum personarum principium: quasi diceret, omnium, quæ procedunt, quod idem omnino est cum ratione primi principij, & fontis. Fons enim est vniuersale principium cuiusque riuuli ex eo fluentis: non ergo S. Thom. impugnauit significatum positium huius negationis, cum ipse planè illud concedat, sed putauit illud male assignatum fuisse à Bonauentura cum tamen nihil diuersum ab eo sentiat.

Obijciunt aliqui hoc modo, Etiam si Pater non esset spirator, & principium Spiritus sancti, esset ingenitus, id est, à nullo alio procedens, vt constat: ergo, *Ingenitum*, non significat pro materiali vniuersale principium, hoc est, spirationem, & paternitatem simul, in quibus consistit ratio vniuersalis principij: vel (quod idem est) negatio significata nomine, *Ingenitum*, non nascitur ex positua ratione paternitatis, & spirationis simul, in quibus ratio principij, vniuersalis consistit.

Diuisur. Respondetur, non oriri hanc negationem ex vtraque illa relatione primæ personæ, sed ex paternitate sola sub ratione primi principij, nam primum, & vniuersale principium, idem est, licet enim pater non spiraret simul cum filio, esset nihilominus principium Spiritus sancti remote saltem, ratione cuius ab eo distingueretur, vt disputatione 147. capite septimo dicemus, & vni-

uersale principium, seu fons (quod idem est) diceretur, quia sicut omnis aqua proxime, aut remote à fonte oritur, sic à patre vtraque persona oreretur.

Ex patribus etiam Basilus, Cyrillus, Damascenus, & Nicetas, quos eodem loco allegauimus, plane sentiunt eo nomine significari modum aliquem personæ. Quod si aliqui ibidem etiam citati dicunt, hoc nomen denotare potius, quod in Deo non est, quam quod est, nihil obstat, loquuntur enim de expresse & formali significato, non de materiali directo, sicut nomina alia significantia aliqua Dei attributa, & positua perturbationes formaliter & expresse potius denotant quod non est Deus, quam quod est, vt, *Incorruptibile*, quia eo modo nostra cognitio aliquando melius fertur in Dei perfectiones, vt disputatione 12. cap. 4. notatum est.

Sed vtrum positium, quod diximus hoc nomine, *Ingenitum*, significari, sit absolutum, an relationium, facile ex dictis in disputatione 137. cap. 3. colligitur. Patres vero solum contendunt contra Eunomium, & Arrium, eo nomine non significari substantiam, hoc est, essentiam Dei, inde enim Arriani inferrebant, Patrem, & Filium esse diuersæ substantiæ, & naturæ, quia pater dicebatur ingenitus, & filius genitus. Et quidem, si ingenitum significaret id, quod infectum, & increatum est, & genitum id, quod factum, & creatum, est, nomen, *Ingenitum*, essentiam significaret. Ita Nazianzenus in oratione 3. de Theologia quæ est 35. à numero 36. & Nicetas in oratione Nazianzeni 23. quæ est in laudem Heronis philosophi in illa verba, *illud item*, idem docent Dionysius Alexandrinus, Ignatius, Athanasius. Basil. Cyrillus, Damascenus, & Ambrosius, allegati supra capite primo, & secundo, nec aliud contendunt contra Arrianos, vt hac ratione defendant filium Dei, & ipsius *Homonison*, patri, id est eiusdem cum illo substantiæ. Vtrum autem absolutum aliquid, an relationem significet, non disputant.

Mitto tamen rationes, quibus Nazianzenus, Cyrillus, & Nicetas probant, *ingenitum* non significare Dei essentiam, præsertim, quia est nomen negatiuum indicans potius quid non sit Deus, quam quid sit: quæ ratio mea sententia non multum probat. Nam & essentiam, vel illius attributa, quod idem est, nominibus negatiuis significare solemus: vt, *Infinium*, *immemum*, &c. Ratio vero præcipua est, ex principijs fidei desumpta: quia cum Pater, & Filius sint eiusdem naturæ, & substantiæ, si pater dicitur ingenitus, & filius genitus, cum hæc nomina significatione opponantur, non poterunt ad essentiam, vel ad ea, quæ essentialia sunt, villo modo referri. Hæc enim eadem sunt in patre, & filio. Quare Basilus Cyrillus, Damascenus, & Nicetas, à nobis allegati disputatione 138. c. 5. rectè dixerunt, non substantiam, nec essentiam, sed existentiam modum, quem vocant hypostaticam, vel characteristicam proprietatem, denotare.

Ceterum Augustinus lib. 5. de Trinitate capite 6. & 7. vt contra eosdem Arrianos probet, *ingenitum*, non significare substantiam, sed notionem personæ; ostendit non significare aliquid absolute, & ad se, sed relatiuum, non quia significatum huius nominis sit aliqua relatio, sed quia denotatur negationem relationis, & negatio eodè respectu videtur.

videtur, quo etiam habitus spectat, cumque significet negationem generationis, quæ in Filio est relatio; erit etiam de numero eorum, quæ non ad se, sed ad aliquid dicuntur. Hoc autem confirmare videtur doctrina communis Scholasticorum, qui contra Scotum docent, in diuinis, quæ sunt absoluta, & vt talia significantur, esse communia, & essentialia, personales vero proprietates esse solum relationes, quia nulla persona proprietatibus absolutis constituitur, quod an definitum sit ab Ecclesia, aut apud patres Ecclesiæ certum sit, dicemus disput. 159.

Ego quidem existimo nomen, *Ingenitum*, non solum esse de numero eorum, quæ ad aliquid dicuntur, & non ad se, ratione expressi, & directi significati, quod est negatio, ad quod solum attendisse videtur August. vt etiam ratione materialis, quod diximus esse paternitatem ipsam, sub ratione primi principij.

Porro si solum expressum significatum, & formale spectemus, quod est negatio, non debemus interrelatiua nomina, *Ingenitum*, numerare, quia significet negationem generationis, & natiuitatis, quæ est propria filij, sed cuiusque processio; sic enim communiter vsurpatur à Patribus, & Scholasticis, vt capite præcedenti notauimus, & eodem modo ad relatiua pertinebit. Deinde sicut processio vniuersæ accepta, non est peculiaris notio, quia est vniuersale prædicatum, quod non constituit diuersam notionem à particularibus; sic etiam ingenitum ratione solius negationis non debet peculiaritatem notionem constituere: ergo necesse est, vt diuersam notionem constituat ratione materialis significati, quod ab alijs diuersum est, vt disput. 138. cap. 5. probauimus. Verum enim vero licet cum personam Patris innascibilitatem ab alijs duabus distinguimus, eam actu relatiua ad illas intelligere debeamus; tamen quia in priori quodam considerationis nostræ signo eam cogitare possumus antequam generet, magnæ questionis est, vtum eo modo intelligatur à nobis constituta aliquo absoluto, an relatiuo; & vtum in innascibilis tunc possit comprehendere sub conceptu absoluto, an sub relatiuo, quæ sanè difficultas quod maiorem postulet discussionem, ex processu examinanda est disput. 159.

QUESTIO XXXIV.

De persona Filij.

Deinde considerandum est de persona Filij. Attribuuntur autem tria nomina Filio, scilicet Filius verbum, & imago. Sed ratio Filij ex ratione Patris consideratur. Vnde restat considerandum de verbo, & imagine.

Circa verbum quaruntur tria.

ARTICVLVS I.

Vtrum Verbum in diuinis sit nomen personale.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod verbum in diuinis non sit nomen personale. Nomina enim personalia proprie dicuntur in diuinis, vt Pater, & Filius. Sed verbum Metaphoricè dicitur

Vazquez in 1. partem To. II.

in diuinis, vt Origenes dicit super Ioan- nem ego verbum non est personale in diuinis.

2. Præterea. Secundum August. in lib. de Trinitate Verbum est notitia cum amore. Et secundum Anselm. in Monologia dicere summo Spiritu nihil aliud est, quam cogitando intueri. Sed notitia, & cogitatio, & intuitus in diuinis essentialiter dicuntur. Ergo verbum non dicitur personaliter in diuinis.

3. Præterea. De ratione verbi est, quod dicatur. Sed secundum Anselm. sicut Pater est intelligens, & Filius est intelligens, & Spiritus sanctus est intelligens, ita Pater est dicens, Filius est dicens, & Spiritus sanctus est dicens, & similiter quilibet eorum dicitur. Ergo nomen verbi essentialiter dicitur in diuinis, & non personaliter.

4. Præterea. Nulla persona diuina est facta. Sed verbum Dei est aliquid factum. Dicitur enim in Psalmo 148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Ergo verbum non est nomen personale in diuinis.

Sed contra est, quod dicit August. in 7. de Trinitate. Sicut Filius refertur ad Patrem, ita, & verbum ad id cuius est verbum. Sed Filius est nomen personale, quia relatiue dicitur. Ergo, & verbum.

Respondendo dicendum, quod nomen verbi in diuinis si proprie sumatur, est nomen personale, & nullo modo essentialle. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod verbum tripliciter quidem in nobis proprie dicitur: quarto autem modo dicitur improprie, siue figuratiue. Manifestius autem, & communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur, quod quidem ab interiori procedit quantum ad duo quæ in verbo exteriori inueniuntur, scilicet vox ipsa, & significatio vocis.

Vox enim significat intellectus conceptum secundum Philosophorum in lib. Periher. Et iterum vox ex significatione, vel imaginatione procedit, vt in libro de Anima dicitur. Vox autem quæ non est significatiua, verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior, quia significat interiori mentis conceptum. Sic igitur primò, & principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur: secundario vero ipsa vox interioris conceptus significatiua: tertio vero ipsa imaginatio vocis verbum dicitur. Et hos tres modos verbi ponit Damasc. in 1. lib. cap. 17. dicens, quod verbum dicitur naturalis intellectus motus secundum quem mouetur

in Euang. Ioan. c. 1. super illud: in principio erat verbum. Libro 9. de Trinitate. c. 10. circa finem. Ex cap. 21. 33. & 34. habetur. In monolog. cap. 58.

Libro 7. de Trinitate. c. 1. paulo post prin. 10. 32.

Lib. 1. Periher. in prin. 10. 12. Lib. 2. de Anima tex. 99. 10. 22.

Lib. 1. Orth. fid. caps. 7.

enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia quæ eius scientia continentur, concipit verbum: ut sic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Sicur intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicitur Anselm. vero improprie accipit dicere pro intelligere. Quæ tamen differunt: nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam: in qua nulla ratio originis importatur: sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectu. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus, & intellectum, ut supra ostensum est. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum. Sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola persona quæ proferit verbum, est dicens in diuinis, cum tamen quælibet personarum sit intelligens, & intellecta, & per consequens verbo dicta.

Ad quarum dicendum, quod verbum sumitur ibi figuratiue, prout significatur, vel effectus verbi dicitur verbum. Sic enim creatura dicitur facere verbum Dei in quantum exequuntur effectum aliquem ad quem ordinantur ex verbo conceptu diuinæ sapientiæ: sicut aliquis dicitur facere verbum regis, dum facit opus ad quod ex verbo regis infligatur.

Dubitatio circa Articulum.

Conclusio est. Verbum secundum, quod proprie in diuinis accipitur, est nomen personale. Circa doctrinam articuli dubitatio est, quare S. Thomas enumerauit omnes acceptiones verbi eo ordine, ut primo loco verbum mentis, secundo verbum vocis, tertio autem verbum imaginationis posuerit. Aut enim (ut ait Caietan.) seruauit ordinem, quoad nos, & ita primo loco deberet ponere verbum vocis, quia id nobis notissimum est. Aut seruauit ordinem naturalem, & sic secundo loco deberet ponere verbum imaginationis, tertio autem verbum vocis: nam verbum imaginationis prius est secundum ordinem causæ, quam verbum vocis. Respondet Caietan. ordinem inter significata alicuius nominis non esse attendendum, secundum naturam causæ, & causati: sol enim dicitur calidus, quod sit causa caloris, & tamen non dicitur prius calidus, quam alia res, quas calidas efficit, sed illud est prius significatum nominis (inquit ille) in quo ratio significata per nonem reperitur intrinsece, & formaliter: illud autem posterius, in quo reperitur extrinsece, quia de causa caloris, dicitur posterius calidus, quam cætera, quæ ab ipso calida fiunt, quia in alijs calor est formaliter, & intrinsece, in sole vero extrinsece tantum. Quocirca quauis verbum imaginationis sit natura

Varquez. in 1. partem Tom. II.

tura prius, quam verbum vocis, quia est causa illius, quia tamen verbum imaginationis dicitur extrinsece verbum, verbum autem vocis formaliter, & intrinsece, ideo prius conuenit ratio verbi verbo vocis, quam verbo imaginationis. Hæc tamen Caietani doctrina est contra mentem S. Thom. in art. docet enim quatuor modis verbum vltimari, tribus quidem iam enumeratis, & quarto pro re ipsa significata. Addit deinde, hoc solo quarto modo dici verbum improprie, & metaphoricè, tribus autem alijs proprie, ergo sentit, quod illa modo solum dici verbum extrinsece denominatione.

Durand. in 1. distinct. 27. quæst. 2. m. 27. docet, verbum proprie solum dici de contemptu mentis, de voce autem metaphoricè, eo quod ratio signi reperitur in voce extrinseca denominatione tantum, in conceptu vero formaliter, & intrinsece; de ratione autem verbi esse esse signum. Quæ quidem sententia mihi non probatur, non quia vox æterna dicatur verbum natura sua sine libera impositione; ut falso putauit Caietan. sed quia vox, Verbum, primo quidem imposita est ad significandum verbum vocis, quod ex institutione hominum significat, & inde derivatum est, ad denotandum conceptum cordis, fieri autem nequit, ut significet improprie, & metaphoricè id, ad quod significandum primo impositum est. Neque obstat, quod verbum vocis significet ex libera voluntate hominum, ut dicebat Durandus, & ita significare dicatur extrinseca denominatione; nam cum vox, Verbum, imposita sit ad significandum primo hoc signum vocis, nihil obstat significatio illa ex institutione hominum, quo minus vox, Verbum, proprie, & primo ipsum verbum vocis denotet.

Quare ego quidem existimo, etiam verbum vocis proprie appellari verbum, similiter verbum mentis, & imaginationis, & quidem de verbo intellectus falso quidam sunt arbitrati, improprie & metaphoricè dici verbum, quorum sententiam merito notat Canariensis in art. 1. quæst. 7. ex ea enim sequitur, filium Dei improprie, & metaphoricè dici verbum, quia per intellectum procedit, quod est absurdum, ob id tamen debemus asserere vocem hanc, Verbum, non fuisse ab humanis ad Deum derivatam, tamen absque improprietas, & metaphora. Cum vero sancti Patres interdum hic vestigium aliquod improprietas, & metaphora agnoscunt, intelligendi sunt, ut diximus disput. 4. cap. 22. Verbo autem mentis magis conuenire vocem, Verbum, quam verbo vocis, docet August. lib. 15. de Trinitate, cap. 11. quam sententiam sequitur S. Thomas in hoc articulo, & cæteri Scholastici in 1. distinct. 27.

De ordine tamen, quo illa enumerauit sanctus Thomas, non est multum curandum, si quidem August. libro de cognitione veræ vitæ, cap. 14. & Damasc. lib. 1. de fide cap. 18. alio ordine ista recensent: sed arbitrantur nonnulli verbum imaginationis, & mentis, quod proprie appellatur verbum, non sumi eodem modo: nam verbum mentis vocamus ipsam qualitatē expressam, quæ est actualis representatio obiecti, at verbum imaginationis non dicimus esse qualitatem expressam, quauis hæc etiam detur in imaginatione, imò in quamuis alia facultate sentiente. Sed verbum imaginationis vocant ipsum verbum vocis obiectum nostræ imaginationi; prius enim quam lo-

21.
Verbum
proprie de
solo conce-
ptu dei pu-
tat Durand.
Resoluitur.

Verbum
proprie di-
citur de vo-
ce imagina-
tione & con-
ceptu men-
tis.
Canar.

22.

August.
S. Thom.

August.
Damasc.

23.

